



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. XXI. De virtute Heroica, & illi contrario vitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

Itaque illa Sententiariorum opinio prorsus re-  
iicienda est, quæ ipsi iterationi actionis hoc ef-  
fectum & tantum Dei donum tribuit. Est igitur  
alia & tertia quædam virtutis diuisio, quæ nobis  
omnino probanda videtur. Est autem hæc, ut  
virtus alia dicatur

}	Heroica, & maior, quàm cõmunis ho- minum piorum cõ- ditio ferat.	Perfecta, quæ de- finitur esse animi habitus & <i>ἦρ</i> ,
	Humana & ea qui- dem, vel	Imperfecta, quæ <i>ἡνάρεια</i> tantum siue continentia nominatur, non autem <i>ἦρ</i> .

Atque de his omnibus sigillatim dicamus: atq;  
ab ea, quæ Heroica nominatur, sumendum di-  
sputationis exordium est.



## CAP. XXI.

De virtute Heroica, & illi contrario vitio.



**Q**UANTIS Sententiarij virtutes à do-  
nis Dei extraordinariis, per quæ ali-  
quid rectè honestèque agimus, toto  
genere diuersas esse, atque dissimiles  
putant: nos tamen, qui cum animum & volunta-  
tem, per quam rectè operamur, Dei donum v-  
bique esse demonstrauius, etiam virtutes ap-  
pellabimus eximia illa & supranaturalia Dei  
dona

dona erga nos, per quę præclarum aliquid, atque  
 etiã plus, quàm communis hominum bonorum  
 & piorum fors ferat, vel semel tantum in vita:  
 vel etiam sapius præstamus. Hanc autem animi  
 affectionem, quę motus illos tam diuinos, tam-  
 que cælestes habet, vt naturam ipsam humanam  
 superemus, vnà cum Aristotele, libro 7. Ethic.  
 atque aliis probatis authoribus, Virtutem He-  
 roicam siue diuinam nominamus. Nam Plutar-  
 chus heroicam venustatem & speciem, quę ini-  
 mitabilis erat, in Demetrio Poliorcete dixit.  
 Rarum illud quidem, & multis sæpe annorum  
 seculis ignotum virtutis exemplum: sed tamen  
 cuius specimen aliquando Dominus ipse volue-  
 rit mundo edere, atque huiusmodi viros excita-  
 re, quos *θεῖος ἀνδρας* potius quàm homines nobis  
 similes cæteri iudicarent. Neque tamen hoc lo-  
 co Hesiodo assentior, qui *ἥρωας* omnes vna tan-  
 tum mundi ætate & seculo vult extitisse, quod  
 aureum vocant. Omni enim ætate Dominus  
 quosdam, tanquam lumina quædam, mundo ta-  
 les exhibuit, tum ad generis humani conserua-  
 tionem, tum etiam ad suę Ecclesię restitutionē.  
 Et si autem illa Platonis sententia, quam in De-  
 metrio refert Plutarchus, *ὅτι καὶ κακίας μεγάλης,  
 ὡς περ ἀρετῆς, αἱ μεγάλοι φύσεις ἐκφέρουσιν*, vera est: ta-  
 men nulla huiusmodi virtus nobis à natura est.  
 Sed illi admirabili quadam & extraordinaria, id  
 est, diuina potius, quàm humana virtute homi-  
 nes præditi, sunt à Deo specialiter excitati, tan-  
 quã gigãtes & præstantissimi, vt ea præstarent,  
 atque efficerent, ad quã Dominus eos præpa-

rauerat, Talis fuit Abrahamus: talis Moses: talis Iosue, David, Ezechias, & alij plures, à quibus res præclarè gestæ, humanarum virium modum excedunt. De hac igitur virtute, quæ Heroica dicitur, duo quærentur. Ac primùm quidē, in quo actionis genere esse & versari vel possit, vel soleat. Ad quam quæstionem respondemus, etsi in his rebus atque actionibus, quæ in bello versantur, quæque ad fortitudinē referuntur, qualis est patriæ tuitio, hostium propulsatio, mortis contemptus, esse & maximè perspicui soleat; & censeatur heroica virtus. In reliquis tamen reb<sup>9</sup> & actionibus, quæ ad alias virtutes pertinent, esse ac versari & posse & solere. Ergo in omni virtutum genere virtus quædam, & animi affectio heroica & diuina cerni potest: non in vna tantùm ea virtute, quæ à Græcis ἀνδρεία, à Latinis fortitudo nominata est. Est autē ea virt<sup>9</sup> heroica, per quam non tantùm constanter, & admirabili quadam facilitate, quæ cæteris difficilia, quæque per se honesta sunt, geruntur: sed tanta vi & animi dexteritate vt vigor appareat plus, quàm humanus, & longè maior quàm in reliquis, qui in eodem actionis genere excellentes habentur, hominibus animaduerti possit. Ac quidem illud primo loco de virtute Heroica quæritur. Secundo verò, in quo hominum genere illa esse possit, piorumne tantùm & fidelium, an etiam infidelium, qui veri Dei cognitione caruerunt. Ad quam etiam quæstionem breuiter respondeo. Quòd quemadmodum sine fide nulla est vera virtus humana, ita neque heroica: sed quæ laudatur in viris verum Deum ignorantibus,

bus, animi promptitudo, affectio & alacritas, ea tantum umbra & assimilatio quædam obscura virtutis dicenda est. Ex quo fit, ut Heroicæ virtutis adumbratio quædam in Ethnicis hominibus esse & reperiri nonnunquam potuerit: vera autem ipsa virtus in iis nunquam fuerit. Atque hoc ipsum est, quod luculenter Plutarchus in Coriolano disputavit, agens de cogitationibus, quæ à Deo nobis in rebus desperatis immittuntur. Aliquot autem exemplis hoc, quod affirmamus, docendum est. Primum igitur in omni virtutum genere heroicam & diuinam illam vim perspicere posse demonstremus. Sunt autem virtutes præcipuæ quatuor, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia. Heroicæ & plus quam humanæ iustitiæ exemplum est inter pios Moses, & Salomo: inter prophanos autem, Aristides & Cato. Fortitudinis autem plus quam humanæ vires ferat, exempla sunt pia, Iosue, Sâson, Dauid, & ii qui illi<sup>o</sup> seculo & ætate inter triginta fortes recensentur: nostra ætate tales fuerunt plerique Christi martyres: prophani verò Hercules, Themistocles, Scipio, Coriolanus. Temperantiæ quoque exempla plus quam humana sunt, Ioannes Baptista, Elias. Inter Ethnicos Socrates: Prudentia plus quam vulgaris & humana, fuit in Salomone, & Achitophete. Liberalitas in Salomone: in primis item Christianis, de quibus est Acto-  
rū 3, & in Cimone Atheniensi. Quod idem de cæteris virtutibus dici potest, quarum omnium exempla planè heroica in vno Domino nostro Iesu Christo, quatenus homo fuit, obseruari possunt. Huic autem tam excellenti virtuti vitium

quod opponitur, ab Aristotele *θελότης*, quæ Latinis est feritas, appellatur. Videtur tamen potius ex Paulo, Ephes. 4. versu 19. *ἀπαλγησία* nominanda. Feritatem enim alij aliter explicant, accipiunt enim pro ea animi feritate, & immanitate, qua quis impellitur, vr sponte eum lædat, à quo nulla est prorsus offensa affectus, & prouocatus, sed eo tantum ipso vexat alterum, quòd humana pœna per se delectetur, & gaudeat, tã est sæuus, qualis fuit Caligula, itémq; Claudius & Nero imperatores, Timon ille qui *μισάνθρωπος* dictus est, & alij his similes. Itaque magis fera, quàm hominis sit similis. Est autem heroicę virtuti potius contrarium vitium illud, per quod omnis conscientię sensus extinctus, omnis intelligentię radius, omne rationis lumen suffocatum, vel longa malè agendi assuefactione, vel alia qualibet de causa apparet: qualis in Absalomo, & qualis in reprobis multis obseruari potest, videturque in eos omnes cadere, qui in Spiritum sanctum, quemadmodum loquitur Scriptura, peccant. Atque hæc est propriè *ἀπαλγησία*, id est, conscientię dedolentia, quæ etiam differt à vitiositate, quæ virtuti opponitur (quam siue *κακίαν*, siue *πονηρίαν*, siue *μοχθηρίαν* appelles, parum refert) quòd in vitiosis hominibus aliquod tamen & mentis & conscientię lumen remansit: at in istis quos *ἀπαλγηστότας* Paulus vocat, illud lumen omnino sepultum est, atque extinctum. Itaque rectè Aristoteles censet, affectionis animique rationem deterioiorem esse in vitiosis: vt qui magis contra conscientię sensum & stimulum peccent: humanitatis autem ratione magis esse

esse istos detestandos, & à nobis communique hominum natura magis alienos, quàm vitiosos. Atq; hæc de Heroica virtute: sequitur, vt de humana dicamus, quæ, vti supra docuimus, duplex est, perfecta nimirù, aut imperfecta. Et de perfecta quidem prius.



## CAP. XXII.

De virtute humana, quæ perfecta  
& *αρετή* appellatur.

**H**UMANAM virtutem vocamus, quæ ab illo summo & tam excellenti perfectionis gradu, de quo diximus, differt, & in communi hominum, quæ & boni & probi appellantur, natura & sorte spectanda est, quam *αρετή* Græci appellant. Quæmadmodum autem Stoici duo genera officiorum constituunt, vnum perfectum, illi *κατὰ δυνάμειν* dicunt, quod in solum sapientem cadit: alterum autem medium & commune, *κατὰ συνήθειαν* illi, quod in communi hominum vita versatur: sic nos humanæ huius virtutis duos quosdam gradus distingui oportere dicimus. Aut enim eò usque progressa esse statuitur vis illa contentiõque animi nostri à Spiritu sancto indita, vt omnem affectionis virtuti contrariæ impetum extinxerit in nobis: aut non est progressa eò usque, sed in eo tantùm gradu totus conatus animi nostri (qui & ipse à Deo nobis infusus est) substi-